

3061
450
42
Q. D. B. V.

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO
Serenissimo Principe ac DOMINO,
DN. IOHANNÈ GVILIELMO,
DUCE SAX. JUL. CLIV. & MONT.

&c. &c.

CONSENSV ET AVCTORITATE
Gratiosæ Facultatis Medicæ Jenensis,

SVB PRAESIDIO

MAGNIFICI *b. t.* ACADEMIÆ PRO-RECTORIS

DN. AVGVSTINI HENRICI FASCHII,
Med. Doct. Archiatri Ducalis Saxonici, Anat. Chirurg.
& Botan. Profess. Publici,

Patroni, Praeceptoris ac Promotoris per aetatem sanctè colendi,

De

CHYLIFICATIONE
LAE SA,
PRO LICENTIA

IMPETRANDI SVMMOS IN MEDICINA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

publicè in solenni eruditorum confessu disputabit

JOHANNES CHRISTIANVS Schröter/
Chemnizensis Misnicus

IN AVDITORIO MAIORI,
ad diem IX Februarii Anno M DC LXXXIX.

Horis ante- & pomeridianis consuetis.

JENÆ,

Litteris NISIANIS. *Chylificatio.*

Pathol. 115.

Pathol. gen.

152, 4.

WEDER
GABE
DIESE
DIESE
DIESE
DIESE
DIESE

PRO LICENTIA
IMPERATORIS
SACRAE
SACRAE
SACRAE
SACRAE
SACRAE

JOHANNES CHRISTIANUS
SACRAE
SACRAE
SACRAE
SACRAE
SACRAE
SACRAE
SACRAE

1718
SACRA
SACRA
SACRA
SACRA
SACRA
SACRA
SACRA



I. N. I.

PRO O E M I V M.



entriculum elegantissimâ structura
mechanicâ, usuque longè nobilissi-
mo nulli reliquorum viscerum ce-
dere, res extra omne dubium posi-
ta Anatomicis ac Medicis videtur.
Et ne de structura dicam, consideret saltem ali-
quis usum & actionem ejus stupendam planè,
nullâque unquam arte imitandam, quâ ingesta,
non rarò satis solida, aliquot horularum spatio
in chylum, succum alendo corpori nostro aptum,
mutantur. Quisnam Chymicorum ullius un-
quam menstrui efficaciam, ignisque potentiam opus
ejusmodi non humanum, sed divinum penitus,
perficere ausus est? Hinc non mirum, cessante
visceris hujus nobilissimi actione, noxam in uni-
versum derivari corpus. Ponuntur nempe pri-
ma fundamenta sani & ægri corporis in ventri-
culi digestionem, & ex hujus errore tam chronico-
rum, quàm acutorum morborum sparguntur se-
mi-

A

mi-

mina, siquidem vitium primæ digestionis non facile corrigitur in secunda, multò minùs in tertia. Ideòque opere pretium duxi, hæc ventriculi aberrationes altiori mentis trutinâ expendere, easdemque pro materia hujus dissertationis inauguralis eligere, atque conferre in publicum. Faxit Deus Ter Optimus Maximusque, ut hi, cæterique conatus mei sub ejusdem gratiosa directione ad optatum deducantur scopum!

THES. I.

Ne autem in *Onomatologia*, in se satis claræ, evolutione justò sim prolixior, hoc unum saltem præmonebo, frustratam hanc actionem ab autoribus nominibus variis, scilicet *fermentationis*, *coctionis*, *digestionis* &c. alimentorum læsæ, indigitari: quæ cuncta tamen cum minùs adæquata sint, Chylificationis læsæ vocabulum retinebo, sub generaliori hoc conceptu non abolitam modò & imminutam, sed depravatam insimul *χύλωσιν* expositurus.

THES. II.

Erit igitur Chylificatio læsa nihil aliud, quàm actio ventriculi in alimentorum resolutione, & in chylum laudabilem conversione frustrata, à ventriculi & humoris menstrualis constitutione p. n., aut ipsorum alimentorum vitio dependens.

THES. III.

Et, ne historiæ hujus affectûs aliquid deesse videatur, consideranda ante omnia sedes morbi, sive subjectum, ut vocant, inhæsionis, quod *ventriculus* constituit, non exclusis tamen insimul intestinis, imprimis tenui-

nui-

nuibus, quippe quibus, cum pari fibrarum musculosarum robore cum ventriculo propriè sic dicto gaudeant, maximâ etiam lymphæ, menstrui vicem gerentis, copiâ perfundantur, bilis insuper copiosè satis affluens chylicationi ultimam quasi manum imponat, non immeritò ventriculi continuati nomen à quibusdam inditur.

THES. IV.

Læditur autem Chylicatio tribus potissimùm modis; dum scil. (1) alimenta assumpta vel planè non, vel leviter saltem, immutata, quâ datâ viâ, rejiciuntur, scil. in ἀπεψία; (2) quando tardius, quàm par erat, negotium absolvitur, in βραδυπεψία; ac denique (3) quando cibus potusque non in chylum laudabilem, sed liquamen vitiosum, nunc acidum, nunc nidorosum, nunc pituitosum &c. tot ærumnarum in corpore causas, convertuntur, nimirum in δυσπεψία.

THES. V.

His juxta nonnullos, & speciatim Sylvium, addenda esset Chylicatio *aucta*, quando citius, quàm decebat, ea absolvitur, unde si consueto & naturali tempore moram necerent, in ventriculo alimenta, nimium immutarentur, ut ne sic quidem convenientem corpori præberent alimenti materiam. Verùm, cum hoc non per vitium quoddam ventriculi contractum, sed potius per habitudinem & robur ejus quoddam naturale atque individuale, neque sine harmoniâ reliquorum viscerum contingat, casum vix concipere licet, sub quò ejusmodi celerior paulò chylicatio corpori ullatenus molesta aut noxia existere queat. Multò minùs chylus exinde acorem contrahere potest, cum chylicatio nec ab acido, nec per modum fermentationis, id quod Sylvius supponit, fiat.

Imò si ad acescentiam usque chylus in ventriculo digeratur, meliore forsan jure ad *Δυσπεψίαν* refertur.

THES. VI.

Non abs re tamen erit, nec ab instituto hoc meo planè alienum, pro commodiore hujus affectûs explicatione de *actione chylicatoria* s. n. se habente, ejusque fiendi modò pauca supponere.

THES. VII.

Quæ ut ritè perficiatur, debita alimentorum, imprimis solidiorum, *preparatio* præcedat necessum est, quam præstat os, dentibus & salivæ fontibus instructum; ratione illorum molæ microcosmicæ munere fungens ad eò necessariò, ut provida natura summi creatoris auspiciò animalibus illis, quibus dentes vel ex toto, vel ex parte defunt, singularem ventriculi structuram concesserit, machinæ adeò necessariæ defectum quadruplici culinâ, ut in ruminantibus, vel duplici saltem, ut in pennatis granivoris, grana non excorticantibus, compensatura.

THES. VIII.

Nec minoris ponderis est alteratio illa, quam à salivæ, spiculis salinis dissolventibus turgidæ, comuniscela expectant ac sustinent assumpta, utpote quæ primam horum liquefactionem ac dissolutionem inchoat, & instar menstrui cujusdam universalis mirificè ad alimentorum quasvis particulas se habet: adeò, ut per aliquot saltem temporis momentula in ore volutata quoad sâpores & odores sensibiliter fatis immutata compareant.

THES. IX.

Deglutitis verò cibus hòc modò per masticationem præparatis, ventriculus munus suum chylicatorium aggreditur, adjutus imprimis menstruò illò universali animali, fermenti nomine aliàs veniente, & salivæ ut ovum

OVO

ovo simillimo: quod ut activitatem desideratam exserere valeat, duo requisita maximè necessaria videntur, ipsius scil. menstrui constitutio laudabilis, & parietum ventriculi robur naturale.

THES. X.

Menstruum ventriculi quod attinet, illud in statu naturali nec acidum, nec alcalinum deprehenditur; id quod præter alias rationes satis notas, experimenta cum syrupo violarum instituta luculenter evincunt: Sed est illa ipsa lymphæ, quæ cum sanguinis massa per corpus fluctuans in glandulis stomachicis secernitur, atque ventriculo in magna satis copia infunditur, ordinariè dilutæ saltem falsedinis particeps. Hæc dum aquositate particulis salinis juncta in assumpta vim suam exserit, horum substantiam lactescentem & gelatinosam imbibit, eamque sibi adaptatam ad massam sanguineam sub chyli nomine defert. Peractâ autem nutritione, atque particulis gelatinosis in poris partium depositis, partim ad canalem alimentorum pro nova alimentorum solutione perficienda redit, partim ad vias urinarias, aliaque corporis emunctoria deponitur mox excernenda.

THES. XI.

Sic ipsius ventriculi substantia membranacea suum quoque confert symbolum, quatenus hic non tantum per tunicam suam carneam nunc constringitur, nunc laxatur iterum; sed ab abdominis etiam musculorum & diaphragmatis motibus reciprocis per intervalla comprimitur, hęcque motu pressive in escam agit, & lymphæ commiscelam intimiorem promovet. Calore quoque tum propriò, tum adjacentium viscerum, lympham solventem in fluore conservat, sine quo hæc aliàs facilè lentesceret.

THES. XII.

Eâdem prorsus ratione intestina suam navant operam, hoc tamen peculiare sibi habent, quòd præter *lympham è glandulis* intestinalibus, à *Pecblino & Peyero* observatis, stillantem, & illam, quam *Pancreas* suppeditat, bilis quoque in illis, tam pro lymphæ inertia emendanda, quàm chyli visciditate corrigenda affluat, adeòque in his chylificatio in ventriculo inchoata continuetur pariter ac absolvatur.

THES. XIII.

Non enim cum illis statuendum censeo, qui bilem laticem merè excrementitium judicantes usum ejus nullum alium asserunt, quàm ut intestinis stimuli loco sit, quò ad fæcum alvinarum excretionem promptius se accingant. Sed judico potius, bilem esse medium illud, quò interveniente chylus crassior, nec adhuc dum massæ sanguineæ miscibilis, dissolvitur ac attenuatur, ut huic magis congruus humor existat. Illam quoque particulis suis salinis, quibus gaudet, lympham ventriculi strenuè juvare, persuadent animalia illa voraciora, quæ ductus cholochochos ventriculo implantatos gerunt, quod in lupis sæpius contingere per experientiam clarum est. Idem testatur remex ille Vesalii, cui bilis quoque ad ventriculum deferebatur, homo in vita voracissimus, nec nausæa in maris procellis obnoxius, sed robustissimi ventriculi existens.

THES. XIV.

His itaque præsuppositis, redeundum mihi erit, unde digressus eram, ad affectum sc. propositum, & quibus debeatur causis, dispiciendum: inter quas primò se offert masticatio assumptorum impedita aut neglecta. Cum enim saliva, tanquam primum menstruum; cibus non nisi pro-

probè comminutis admisceri possit, facilè sentitur noxa, quæ exinde ad nos redundat, quæ certè tanta, ut meritò vitam odisse dicatur, qui masticationem negligit, unus siquidem bolus non ritè masticatus plus negotii præbet in ventriculo, quàm tres mandendò benè contriti, eaque propter edentuli plerumque brevioris vitæ observantur.

THES. XV.

Ipsa verò saliva cibus, quamvis probè comminutis, haud ritè miscetur, quando viscidior illa existit, vel planè etiam deficit; quorum hoc ab obstructione & scirrhescentia glandularum secernentium solenne est, vel etiam, si ob vulnera, imprimis genarum, ductus discissi compareant, & saliva in glandulis secreta non ad oris, sed vulneris cavitationem deponatur, quod innuere videtur *Fabr. ab Aquapend. Pentateuch. Chir. l. 2. append. de vuln. gen.* quando ait: quod si propè aures vulnera in facie contingant, versus aurem foraminulum angustissimum, vixque oculis conspicuum appareat, per quod, potissimum si patientes mandunt, magna aquæ lymphidæ copia instar lacrymarum exeat, unum vel alterum sæpè mensem durans. Æquè notabilis est observationum biga, quam *Diemerbræck. Anat. l. 3. c. 24. p. m. 642.* recenset de saliva per integrum ferè biennium è bucca vulnerata exstillante.

THES. XVI.

Deinde læditur illa aut propter Organon, ventriculum puta, malè constitutum, aut propter objectum haud ritè proportionatum. Et quidem quoad prius illud duo iterum considerationem merentur, parietum videlicet ventriculi tonus dejectus, & menstruum solvens à statu naturali recedens.

THES.

THES. XVII.

Cùm enim, ut jam superiùs indigitatum fuit, ventriculus non solùm matraccii recipientis vicem gerat; sed tunicâ musculosâ satis robustâ, & duplici fibrarum carnearum serie constante, præditus cibos etiam conquasset, & intimiorem eorum cum menstrualium humore commiscelam promoveat: facillè sentitur noxa, si, fibris à distensione nimia laxatis, sufficienter arctari nequeat ad complectendos cibos, quod vitii genus helluonibus ac multibibis ab infarctû alimentorum nimio, potusque ingurgitatione immodica evenire solet.

THES. XVIII.

Et ne de inflatione, tumoribus, vulneribus, ulceribus &c. ventriculi, motum ejus valdè turbantibus, dicam, mentio saltem injicienda erit defectûs Spirituum animalium, eorumque ad tunicas stomachi influxus denegati, quò tamen illæ æquè ac aliæ partes musculosæ, motui destinatæ, minùs carere possunt. Et hi quidem vel deficiunt, vel segniùs affluunt, vel denique aliorsum moventur ac divertuntur.

THES. XIX.

Defectum Spirituum producant, illosque in minore quantitate appellere faciunt evacuationes humorum laudabilium quævis, tam naturales, si modum excefferint, v. g. mensium & humoris spermatici nimix profusiones; quàm p. n. v. g. hæmorrhagiæ omnes. Et referendi huc etiam labores vehementiùs delassantes, animi æquè ac corporis, it: vigiliæ immoderatiores.

THES. XX.

Segniùs iidem affluunt, quando à narcoticis stupidiore redduntur: Hæc enim, sicut, dum in conveniente dosi ac tempestivè propinantur, nimium spirituum
mo-

motum compescendò operantur; ita in majore quantitate, intempestivè atque frequentius exhibita eosdem præter modum figunt, & quasi condensant. Idem stupor spiritibus imprimitur à somno longiore, nicotiana, Spiritus vini, aliorumque inebriaminum abusu.

THES. XXI.

Aliorsum denique moventur Spiritus ab animi pathematis vehementioribus; primatusque debetur curis & mœrori, quod *Bartholinus Cent. 5. hist. 30.* eleganti confirmat exemplò, perhibens: quendam curis & marasmò senili emaciatum post emulsiones atque consummata assumpta mox Quam illorum odore tinctam excrevisse. Eundem planè effectum post se relinquunt dolores immaniores, ventriculum in consensum trahentes. Quippe modò laudatus *Bartholinus Cent. 1. hist. 68.* de se ipso refert, Quam vino à se in paroxysmo nephritico epoto adeò similem redditam fuisse, ut pro ipso vino harum rerum ignaris potuerit propinari: quatenus videlicet ventriculus ob dolores nephriticos per consensum, qui ipsi cum renibus mediantibus nervis octavi paris, secundum *Willisium*, vel juxta alios sexti, intercedit, malè se habuit, hinc contenta sua cruda adhuc existentia, & nullam resolutionem aut immutationem passa proscripsit.

THES. XXII.

Quoniam autem Menstruum ventriculi ceu primarium instrumentum ad chylificationem requiritur, facile sentitur noxa, quæ ex ejus prava constitutione emergit. Hinc meritò accusandus ejus defectus, quando nimirum à glandulis stomachi non in sufficiente quantitate seceratur, ob copiosioreni feri in aliis locis evacuationem aut profusionem, id quod in salivatione Mercuriali, it.

B

hy-

hydrope, usu venire solet. Terrea etiam quævis lympham ventriculi absorbentia atque imbibentia, imprimis calculi in stomacho latitantes, quales *Hæffer. Herc. Med. Tom. 1. l. 3. c. 1. & Miscell. Curios. Ann. 2. obs. 181. & annex. schol.* annotârunt, vix culpâ carere videntur.

THES. XXIII.

Non minus etiam debilitatur actio eadem ab inertia istius lymphæ, si particulæ salino-volatiles, ad alimentorum dissolutionem ritè peragendam maximè necessaria, obtundantur ac enerventur, quod ab humoribus pariter ac alimentis viscidioribus, pinguibus aut aquosis, nec non absorbentibus terreis & silibus intempestivè adhibitis, ipicula ista salina in se convertentibus, solenne est: it. quando lymphæ dicta ob caloris defectum fluiditatem desideratam amittit, & in offam viscidam coagulatur.

THES. XXIV.

Nec silentio involvenda erit illa humoris digestivi depravatio, quam in duplici ista cruditate penes autores Practicos satis celebri, acida videlicet & nidorosa, patitur. Vbi nimirum in ista, ab acidorum abusu ortum ducente, alimenta in succum acidum plus minus viscidum abeunt: In hac verò sive nidorosa, quæ bilis acrioris regurgitationi ad ventriculum, assumptis etiam pinguibus & aliis ad putredinem magis inclinantibus, debetur, alimenta non in chylum laudabilem, sed liquamen putridum convertuntur.

THES. XXV.

Et quæ jam de ventriculo ejusque menstruo dicta sunt, quàm commodè etiam applicari poterunt intestinis, eorumque humoribus, succo scil. pancreatico, & lymphæ è glandulis intestinalibus stillanti, itidem menstrui vice fungentibus.

THES.

THESES. XXVI.

De bile verò quemadmodum superius innui, eam ad menstrui digestivi inertiam emendandam, ac chyli cum sanguinis massa commixtionem substantiâ suâ sinegmaticâ Θ no- Φ eâ plurimum conferre: ita affluxum ejus denegatum chyli ulteriori elaborationi maximè impedimento esse, cachexiæ & hydropes, quas ejus defectus parit, evincunt, singularem seri ac sanguinis visciditatem combinatam gerentes.

THESES. XXVII.

Et quidem vel planè non, aut saltem non sufficienter ad intestina confluit bilis, si folliculus eâ vel penitus destituatur, quale quid præter *Lindanum Excell. Dn. D. Bobnius* (quem studiorum meorum Patronum singularem veneror) in *Colleg. Patolog. Mssis* se observasse testatur; vel consistentia ejus crassior sit, aut planè in lapideam formam coagulata fuerit, quales, ut aliorum observationes taceam, eleganti figurâ donatos, sibi que invicem adaptatos à *Magnif. Dn. D. Præside*, Patrono ac Præceptore nunquam satis devenerando, aliquot abhinc annis demonstratos vidi.

THESES. XXVIII.

Ductuum quoque Cholodochorum à bile crassiore, aut in gypseam substantiam mutatâ, obstructio non excludenda erit numerò eorum, quæ bilis affluxui ad intestina sufflamen injiciunt. Rarioribus tamen annumerandum, quod *Job von Meecken Obs. Chir. 43.* refert, nimirum meatûs cystici partem superiorem inferiori intrusam bilis descensum ita inhibuisse, ut disruptò folliculò illa in abdominis cavitatem profusa fuerit.

THESES. XXIX.

Objectum denique sive alimenta stomachum gra-

vant, quatenus in largiore, quàm par erat, quantitate ingesta non modò ventriculi atoniam producant; sed humori digestivo insuper minus proportionata vim ejus solventem eludunt, hinc cruda aut semicocta remanentia cephalalgias, vomitus, nauseam, ventriculi dolores, ructus, similiaque symptomata movent. Idem judicium esto de potulentorum ingurgitatione nimia, quæ particulas fermenti salinas nimis diluendò virtutem ejus non parum debilitant.

THESES. XXX.

Qualitate verò molesta esse solent duriora quævis solidioribus fibris gaudentia, carnes scilicet salitæ & fumò induratae, it. pisces acetò vel sale conditi, & pariter fumò, vel etiam aëre exsiccati, v. g. asellus, muræna, hallec sive muriâ conditum, sive infumatum &c. Licet enim hæc edulia hominibus robustiore ventriculò præditis satis grata deprehendantur, gracilibus tamen & imbecillioribus multum negotii faceffunt.

THESES. XXXI.

Eundem censum subeunt caseus liberaliore manu assumtus, aliaque lacticia à cruditate imprimis acida facilè in coagulum caseosum abeuntia, hinc obstructiones aliaque symptomata, causantia, siquidem *Mæbius Epit. Instit. p. 492.* à lacte crebrius & copiosius assumpto chlorosin & obstructiones uteri contumacissimas in virgine nobili annotavit. In subjectis verò biliosis cruditatis nidorosa frequens causa existere solent.

THESES. XXXII.

Ejusdem farinae sunt cibi pinguiore, multò oleò conditi, aut in butyro frixi, vel eòdem saltè largiùs conspersi, utpote quòrum abusus non modò ad nauseam & vomitum disponit, sed lympham insuper solventem

tem

tem viscidiorē reddendō, particulasque ejus salinas obtundendō, coctionem insigniter moratur ac lædit. Videmus enim pinguia menstruis etiam fortissimis & maximè corrosivis resistere, eorumque vim eludere, ut vel ipsa aqua fortis nullum in eadem jus possideat. Et vel hōc nomine & etiam, it. fructus oleosi, quales sunt nuges, amygdalæ &c. plerumque malè audiunt.

THES. XXXIII.

Pisces etiam omnis generis, ostreae, conchae &c. quia visciditate & lentore singulari gaudent, pituitam ventriculi accumulare solent, hinc neminem subire debet admiratio, si febricitantes jam curati ex usu eorum recidivas patiantur. Idem dicendum foret de fructibus nonnullis, sc. melonibus, cucurbitis, cucumeribus &c.

THES. XXXIV.

De acidis quidem, fructibus auctumnalibus, aliisque rebus per fermentationem facilè in succos acidos degenerantibus dubium suboriri posset, num hæc aliquod incommodi afferre queant, quatenus (ex hypothesi aliorum, non mea, loquor) ejusdem cum menstruō naturæ videntur. Facilè tamen illud adimi poterit considerantibus, acore ejusmodi in ventriculo præsentē nec appetitum, nec coctionem ritè peragi, quod hypochondriaci, arthritici, aliique magno suo cum damno testari abundè queunt: Sed, ut superiùs monitum, peculiarem potiùs cruditatis speciem producant.

THES. XXXV.

Difficili aut prolixâ diagnosi hic affectus non opus habet, quandoquidem appetitus dejectus, dolor stomachi gravativus atque tensivus, phlogosis post pastum ægros corripuens, eundem satis declarant. Concurrunt simul ructus etiam post quinque, sex vel plures à ciba-

tione horas molesti, atque assumptorum genuinum saporem referentes, imò alimenta non rarò cruda aut semicocta per guttur superius æquè ac inferius rejiciuntur. Supini decumbentes subinde de respirationis difficultate conqueruntur, alterò verò mane fauces pituitâ & mucò obfessæ sunt. Quæ nunc tenues & aquosæ, nunc crassæ magis comparent.

THES. XXXVI.

Imprimis duæ superius recensitæ cruditates probè à se invicem distinguendæ sunt. Et acidam quidem arguunt ructus acidi, ardor stomachi sive soda, & flatulentia extraordinaria cum alvo adstricta, & quæ jejunò ventriculò vomitu ejiciuntur, præter acorem visciditatem singularem conjunctam gerunt. Nidorosam verò ex ructibus foetentibus ac horridis, similibus illis, qui elevari solent post ova frixa aut *♂*lia assumpta, judicare licet. Matutinò tempore saporem peregrinum & nauseabundum in ore percipiunt ægri. Quæ vomitu rejiciunt, sunt livida, subflava, aut insipido - dulcia, aut ex amaro dulcescentia. Alvus plus solitò aperta esse solet.

THES. XXXVII.

Quoad Prognosin certum est, à *χυλώσεως* læsione dependere plurimos morbos, acutos æquè ac chronicos, quatenus vitium primæ digestionis non in secunda, multò minùs in tertia corrigitur. Licet enim in principio morbi malo partim remediis accommodatis, partim accuratâ victûs ratione facilè medicina paretur; si tamen illi non in tempore subveniatur, sed morbus negligatur, præter incommoda, quæ primis viis inferre solet, alvi sc. adstrictionem, laxitatem, passionem cœliacam, dolores colicos &c. atrophix, hydropi, arthritidi, febribus intermittentibus ac continuis, scabiei, & cachexiis variis

con-

contumacissimis, & Medici operam non raro eludentibus, occasionem præbet.

THES. XXXVIII.

Perspectâ sic etiam Prognosi, ordo nunc requirit, ut ad curationem ipsam progressum hic faciam, & quibus nitatur indicationibus, disquiram. Consistit autem illa in eo, ut (1) humores digestivi quôcunque modò vitiiati vel è corpore proscribantur, vel per appropriata alterantia corrigantur, & ad statum naturalem reducantur; (2) ut ventriculi parietum tonus laxatus restituatur; quibus denique (3) pro cura facilitanda strictior diæta jungatur.

THES. XXXIX.

Menstruum igitur si à cruditatibus quibusvis inquinatum fuerit, evacuari debet per medicamenta aut vomitum, aut secessum moventia; Et inter illa quidem primum locum obtinent gâlia, tanquam tutiora, hinc commendantur ζ us vitæ, ζ us *Emet. Myns. Infus.* Vitri γ ii vel Croci metall. Quamvis monendum, hæcce non raro Medici operam deludere, quatenus virtus eorum emetica ab acido exsuperante castratur, unde sæpiùs non ad vomitum, sed per alvum commoventur. E re itaque erit in hoc casu absorbentia, v. g. oc. σ . vel etiam Θ ia alcalia fixa illis commiscere pro scopo feliciùs obtinendo. Laudem etiam meretur Asarum, cum præter acrimoniam vomitum provocantem simul forti & penetrante odore saporeque aromaticò præditum sit, in quo vis ejus specifica latet corrigendi & dissolvendi humorem viscidum.

THES. XL.

Si per inferiora purgandum sit, lenioribus, & per epicrasin evacuare dictis, utendum, qualia sunt MP de tribus Ruffi, Pilulæ Angel. Francof. Aloëphangin. Mastichin.

de

de aloë rosata, violata &c. Quibus in paulò robustiori-
bus, & ubi visciditas major, addendum unum vel alterum
granum resin. scammon. vel extract. colocynth. In spe-
cie in cruditate nidorosa, si per alvum evacuandum, cho-
lagoga dicta remedia monente Sylvio in minore dosi &
repetitis vicibus propinanda sunt, maximè tamen in ea
conveniunt Rhabarb. Tamarind. quibus jungenda alte-
rantia acidula, cremor & crySTALLI ꝑi.

THE S. XLI.

Evacuatis in hunc modum primis viis, de corrigendi-
dis per alterantia menstrui digestivi vitii sollicitus debet
esse Medicus, in quo negotio nunquam ferè ipsum dese-
rent Amara & Aromatica quævis Θ e volat. \circ so turgi-
da, illòque mediante visciditatem sive à frigore acceden-
te, sive à cruditatibus quibuscunque in stomacho relictis,
productam egregiè incidere atque attenuare apta. Hinc
adeò decantata virtus stomachica Absynthii, Origani,
Menthæ, rad. ari, Cinamom. caryophyll. macis, nucis mo-
schat. piperis &c. & ex his paratorum \circ rum Ω latorum,
pulverum ac Elixiriorum varii generis, quorum ingens
farrago penes autores Practicos reperitur, cum nullus ferè
eorum sit, qui non singularem Pulverem vel Elixir
stomachicum inter arcana sua deprædicet. Nec conte-
mnendi usus sunt Θ ia volat. \circ sa ex mixtione \circ rum e-
jusmodi aromaticorum cum Θ is \ast ci vinoso resul-
tantia, præsertim si acidum prædominetur in stomacho.

THE S. XLII.

Idem encomium debetur quibusvis remediis Θ inæ
profapiæ, sive acidæ, sive alcalinæ, vel etiam mediæ na-
turæ illa existant. Hæc enim pariter pituitam mucilagi-
nosam ventriculi incidunt atque abstergunt, ut humor
digestorius, remoris his sublatis, pristinam recuperet acti-
vitatem.

THE S.

THES. XLIII.

Vix enim dici potest, quantum Ω us acidi mineralis Θ li, Φ is, Θ i, Θ is, Θ li philos. imprimis per Ψ dulcificati, possint. Ideòque tantis encomiis evehuntur Elixiria nonnulla, v. g. Propr. Stomachal. Michaël. Θ li Mynf. Ω bus his acuata; it. his mitiora Cremor & Crystalli Φ i, succi quoque vegetabilium gratà aciditate præditi, ut sunt succus ribium, berberum, cerasorum, granatorum, cydoniorum, rub. Id. Julebis non sine ingenti ægrorum levamine miscendi. Notandum tamen, abstinendum esse ab his potiùs in cruditate acida, ne medelæ morbum augeant.

THES. XLIV.

Ex alcalinorum classe huc referuntur Θ absynth. Cent. min. card. bened. Θ Φ iat. \Re a Φ i acris; vel volatiliora, Θ ia scil. volatilia Φ sa superiùs laudata, inter quæ non infimum locum meretur Ω us Θ *ci caryophyllatus cum Q. E. absynthii mixtus.

THES. XLV.

Pariter hujus loci sunt Θ sa, v. g. Φ us Θ lat. arcanum duplic. Mynf. Θ Φ i essential. Θ *cum depuratum, Ψ a foliata Φ i & liquor ejusdem, Θ hypochondriacum, Sylyio Θ febrifugum dictum; potissimum, si cum aromatis misceantur, quò nomine commendatur Pulv. Stomach. Michaël. arcanum duplic. pro basi agnoscens.

THES. XLVI.

Duplicis quoque cruditatis ratio erit habenda, & quidem acidæ per appropriata absorbentia, v. g. lap. Ψ , cretam, ebur, Crystall. montan. &c. Tum etiam \Re am Φ i, Elix. P. P. sine acido, aut cum Ω u Θ *ci paratum, Ω us Θ *ci simpl. & aromatisat. In nidorosa verò, utpote non rarò incorrigibili, egregii usus observantur alte-

C

ran-

rantia subacida, v. g. Cremor & Crystalli φ i cum corall.
rubr. crystall. montan. lap. \mathfrak{S} , & similibus miscenda, Ω us
 Θ is & Φ i dulcis, ac Elix. P. P. acidum, Pulv. Epat. rub.
Dresd. Conserv. Rosar. Θ lata &c.

THESES. XLVII.

Imprimis tamen in bilis vitiis emendandis egregius
est laudatus Ω us Φ i dulc. quippe qui volatiliorem illam
figit, acriorem temperat, pinguem ac lentam incidit,
imò illâ in substantiam lapideam concretâ, palmarium
existit remedium pro calculis illis solvendis.

THESES. XLVIII.

Si autem Tonus ventriculi à narcoticorum abusu,
aut per crebras potationes, vel aliam quamcunque cau-
sam distendentem fuerit laxatus, optimè eundem resti-
tuunt remedia acida, blandâ stypticitate gaudentia, fibras-
que ventriculi ad sui contractionem stimulantia, ex regno
minerali æquè, ac vegetabili desumenda. Observandum
tamen cautos & parcos in horum usu nos esse debere, ne
ab his nimis stimulati ægri plus devorent, quàm ferre pos-
sint, hincque cruditate acidâ molestentur. Tutiora
tamen sunt vegetabilia, cremor & crystall. φ i, succi fru-
ctuum austerorum, citri, berberum, cydoniorum, gra-
nat. acid. &c. Diacydoniatum simpl. & aromatizat. it. ∇
Cinamom. cydoniat. Ω -bus autem mineralibus non fa-
cilè ita puris, prout vulgò prostant, sed temperatis suò
modò, & per \mathfrak{S} dulcificatis utendum. Universalis enim
in Praxi cautela est, ut, quoad possibile est, temperatis
utamur, cum omnia in corpore nostro sint temperata, &
ita mutatio ab uno excessu ad alterum, insigneque detri-
mentum præcaveatur.

THESES. XLIX.

Eòdem modò operantur Aromatica quævis, acri-
mo-

moniâ suâ volatili stomachi fibras pariter stimulantia ;
quamvis haud negandum, quædam illorum, v. g. cinamo-
mum & caryophyllos, insimul aliquali stypticitate polle-
re, ideòque magis appropriata esse.

THES. L.

Nec his cedit *Mastiche*, cujus usus in vulgus etiam
innotuit, pro coctione facilitandâ aliquot ejus grana jeju-
nò ventriculo deglutire solitum, & optimo quidem cum
fructu, quatenus eundem adstringit & roborat, hinc in
aliquot ejus pathematibus, nausea scil., vomitu, liente-
ria &c. adhibetur. Laudem igitur merentur Ω us *ma-
stich.* & *Elix. Mastichin. Sim. Paul.* observandò tamen,
illius virtutem non leviter adaugeri, si destillatio non in-
concurbita, sed Retorta, & quidem Δ e satis forti, insti-
tuatur.

THES. LI.

Atonia, quæ à spirituum influentium paucitate, ob
humorum corporis laudabilium profusionem p. n., oritur,
per *alimenta* potius $\epsilon\upsilon\pi\epsilon\omega\tau\alpha$ καὶ $\epsilon\upsilon\chi\upsilon\mu\alpha$, quàm medica-
menta, defectus istius restaurationem postulat: Quem-
admodum illius etiam, quæ ab animi pathematibus, in se-
quentibus, ubi de Diæta, mentio erit injicienda. A *dolo-
ribus* autem partium vicinarum, v. g. *nepbritico, colico* &c.
excitata, peculiarem curam haud exigit, sed istis sublatis
ultrò cessat.

THES. LII.

Nec omittenda sunt *Topica* externa sub Balsamorum,
linimentorum, emplastrorum, epithematum forma ap-
plicanda, v. g. *Crusta panis* cum vino aut aceto imprægna-
ta, & aromatibus conspersa, \forall , *Elix. Vit. Matth.* ∇ *An-
balt.* ∇ *vit. alb. Saxon. Bals. Anglic. bals. Peruv. &c.*
 $\circ\circ$ a aromatica quævis, maximè tamen $\circ\circ$ *masticis fla-
vum, Bals. Stomach. Myns. Empl. de bacc. lauri, de cru-*

Stapa panis, *Cerot. de Tacamah.* *Scutum Stomach.* *Mynf. Hartmanni*; *Cera* item *catholica* *Burrhi*, quæ singula stomacho applicata in omnibus ejus affectibus haud contemnendi usus existunt.

THES. LIII.

His denique manum porrigit *Dieta*, quæ, si in ullo alio, certè hoc nostro morbo, strictior est servanda, curationisque spem promittit non ultimam, & consistit in legitimo sex rerum nonnaturalium usu. *Aër* itaque sit temperatus in calore & frigore: De hoc namque refert *Zacut. Lusit.* quòd hyberno tempore per nives iter faciens, ex isto frigore non semel in anorexiam (individuum imbecillitatis ventriculi comitem) miser impegerit. Ita etiam improvida abdominis denudatio atque refrigeratio singultum, diarrhoeam &c. non raro producit. In aère verò excessivè calido, cum per transpirationem & sudores seri æquè ac spirituum non leve fiat dispendium, coctionem insigniter debilitari in propatulo est.

THES. LIV.

Quoad *victus* rationem, abstinentia ac in usu alimentorum temperantia maximè commendari debet: Nihil enim ægris talibus magis confert, quàm *inedia*, quâ cruditatibus in stomacho congestis digerendis locus conceditur. Sin verò hæc methodus illis minùs arrideat, utantur saltem victu tenuiore, & alimentis, quæ facilioris coctionis sunt. Vitandi igitur *cibi nimis solidi & duriores*, pingves, fermentationi ac putredini obnoxii, potissimum qui nauseabundi, & à quibus æger abhorret, siquidem appetitus assumendorum quasi index est, & quæ cum delectatione assumuntur, faciliùs etiam ut plurimum digeruntur.

THES. LV.

Potus conveniens existit vinum *generosum*; abstinentium

dum tamen ab eo in cruditate acida, in qua cerevisiæ potiùs *lupulata* & probè defæcata haustus commendandus: quamvis & hæc in nidore ventriculi ob amarorem, sæpè satis molestum, non semper locum inveniat, ideoque cum sero lactis, aliove potu tenuiore permutanda. Dissvadendus igitur potus minùs defæcatus, qualis ille, qui vulgò dicitur *Breihan*. Hic enim in ventriculo fæculentias suas ∇ stres dimittens activitatem fermenti insigniter debilitat, illudque magis viscidum reddit. Omnium autem pessimè sanitati consulunt, qui potationi *nocturnæ* indulgent, it. qui ∇ manè jejunò ventriculò ingurgitant.

THES. LVI.

Somnus pro causarum diversitate nunc brevior sit, nunc longior. Si enim spiritus animales torpidi sunt, illi aliquid detrahendum; sin verò deficient, diuturniori indulgendum, imò & pomeridianus concedendus. Sic *vigilia* moderatæ stuporem torporemque spiritibus excutiendò coctionem juvant: Nimia contra spiritus, corporisque vires dissolvendò eandem turbant.

THES. LVII.

Eadem est ratio *Motûs & Quietis*. De illo tamen notandum, eum magis ante, quàm post pastum esse instituentum, nec approbandam Scholæ Salernitanæ regulam, post coenam stare, vel passus mille meare imperantis, quatenus vires, quæ chylicationi impendi debebant, hóc modò perduntur.

THES. LVIII.

Excreta quoque & *retenta* naturaliter se habeant, imprimis *alvus* quotidie officium faciat, aut si segnior, lenientibus sollicitanda, justò verò fluidior sistenda. Nec ad rem *veneream* nimis attenti sunt. Exulare etiam debent animi *patbemata* graviora, ira, terror, tristitia &c. hilaritati contra animi moderatoque gaudio omni curâ studendum.

SOLI DEO GLORIA!

Ventriculo SCHRÓDERI afflant medicami-
na robur;

ex quò purpureo splendet honore caput.

*Nob. CL. moq. Doctorando optimè meritos
honores gratulatur ex animo, praxinq;
precatur felicissimam*

PRÆSES.

QVæ cupis, ecce capis Medicæ artis digna
brabea;

Porro ut sis felix apprecor ex animo.

*Nobiliss. & Clarissimo Dno DOCTORANDO
gratulab. deprop.*

RUDOLFUS WILHELMUS
CRAUSIUS D.P.P.

Qui focus in centro flammatur perpete luce,
in stomacho structus pabula sueta parat.

Quod si deficient vitalis robora flammæ,
nec focus ardescit, nec nova flamma venit.

Tu stomachi vires reparans nova pabula vitæ
suggeris, & famæ congrua signa refers.

*Honoris, affectus & fausta congratula-
tionis ergo scribeb.*

GEORGIUS WOLFFGAN-
GUS VVEDELIUS.

